

AB

56676



10  
11

№ 4001 \*





AD LIBRVM ARISTOTELIS  
DE INTERPRE-  
TATIONE

Theses,

*Quas Deo bene iuvante,*  
Præfide

CORNELIO MARTINO AND-  
verpio, Profess. Logices Aristoteleæ  
publico

*Disputationi publicæ in illustri Principis FVLII*  
*Academia, quæ est Helmaestadij,*

Subijcit & pro viribus ingenij defendet

IOANNES VINCELBERGIUS GARDALE-  
giensis Semno, Medicinæ stud.


<sup>30</sup>  
*ad XVI. diem — Mens. Nouembr.*



No 4003 \*

HELMAESTADI.  
Excudebat Iacobus Lucius, Anno  
M. D. XCIII.



  
AD IOANNEM VINCELBERGIVM  
SENARIOLI M. SIMONIS MENCII  
Professoris Iuliæ Acad.

**V**inampinatio secantur palmiti  
Supervacua quæcumq; falce ferrea,  
Fœtus & umbras quæ sovent, his parcitur:  
Sic veritati acuta disputatio  
(Turbata nulla acerbitate scilicet)  
Quæ sunt inanes, amputat sententias,  
Solidas relinquit & tuetur fortiter.

Tu perge VINCELBERGI amare duplicem  
In literaria laborem vinea,  
Tolle ociosos pampinos, serva utiles:  
In dimicando disce cum sodalibus  
Tam VINCI, ubi res postulat, quam VINCERE:  
Vtrumq; facienti probe, absq; sanguine  
Cum laude tamen, opima concinnabitur  
Doctis Camœnarum digitulis laurea.

SPE





SPECTATISSIMIS, ERVDITA QVĒ  
PRVDENTIA, RERVM VSV, ET INTEGRITATE  
præstantibus viris, D. IOANNI FALCONI, Se-  
natori Reipub. patriæ vigilantiss. & D. NICO-  
LAO VDONI, Ciui ibid. primario, fau-  
toribus suis officiosè colen-  
dis S.



Vod Thebaica lege præceptum erat, viri orna-  
tiss. vt pictores, vt figuli, vt artifices imaginum  
formas, quoad eius fieri posset, optimè atq; a-  
deò præcisè exprimerent, irrogata illis mulcta  
pecuniaria, qui deterius aut pinxissent, aut finxissent: id  
æquissimè sanciretur de conceptibus animorum, qui re-  
rum idola sunt & imagines, ad viuum exprimendis, vt ora-  
tio rationis esset interpret, & quasi diuinæ maiestatis illi-  
us germanus Mercurius: si quid modò legis de rebus abstru-  
sioribus aut ferri potest, aut optari debet. Accepimus di-  
uina quidem benignitate *ἡ δὲ φύσις* *ἡ δὲ φύσις*, eamq; natu-  
ra mater vnà cum animi facultatibus ipsa nobis suapte  
sponte ingenerauit. At enim uerò veritatem, quam in com-  
positione disiunctioneq; simplicium conceptuum consi-  
stere fatentur omnes, vno prorsus ore Philosophi, natura  
nouerca *Διὸς κόρη*, vt apud Pindarum est, in altissimo coeli  
folio, non hominum in terra filiam esse voluit: aut (si De-  
mocrito credimus) in profundissimum quasi puteum de-  
mersam à facie nostra semouit. Quæ veritatis siue subli-  
mitas siue profunditas, argumentum est bene locuples tan-  
tæ mentibus obfusæ caliginis, in dispicienda veritate re-  
rum



rum per sese clarissimarum, quanta vespertilionum in aspectu meridianaë lucis. Nimirum intercipiuntur optici mentis radij, medio loco quasi centro inter vtrumq; situm dispersi, per nimiam illam minimeq; menti proportionatam veritatis ab illa distantia: præstringit oculos præfulgidum diuinæ (quam Plato vocat in Cratylo) veritatis iubar: idemq; suis radijs exiles animi radios obfuscatur, vnde visus nostri quasi parallaxis consequitur. Quod si verò deorsum flectamus oculos in veritatis puteum, obstant vndæ fluctuantes materiae & accidētium, quæ magnoperè certitudinem veri præpediunt. Si deniq; veritatem quoquoersum discurrendo quæramus in planitie, alucinamur itidem: tantum abest, vt tam exactè teramus orbitam veritatis, quàm accuratè directum currus meatū in Acad. Platonis olim Cyrenæus eques Anniceris seruabat eodem tramite, ex quo ne transfuersum ille quidem digitum excedebat. Itane vero tandem, inquires, omninò veritatis adytis arcebimur? Minimè gentium. Nam si verum est, quod Lyricorum princeps perhibet, *χρόνον εἶναι πάντων πατέρα*, certè *χρόνω* quoq; tandem Veritas ipsa quasi Temporis filia detegatur. Denegauit natura veritatem, fateor: obfudit menti rerum omnium inscitiam: nihil inscripsit mentis nostræ tabulae; sed rasam tamen illam potentijs & acutis ad vericognitionem calcaribus instruxit ita, vt veritatis indagine quadam animi venandæ characteres accessu recessuq; temporis insculpi possent. Stipata mens est sensibus, tanquam satellitibus, & ad sciendum ducibus, quibus & ea quæ sunt, & ea quæ fiunt, obijciuntur. Arrepta sensu factaq; phantasmata mens admirabili quodam artificio componit, diuidit, admiratur: tum quærit insuper sciendi desiderio, dubitat; sed dubitationum compedibus per *λύσιν* & inuentionem causæ semetipsam pedetentim expedit, ac in arce  
veritatis



veritatis tandem, profligatâ seu puræ negationis, seu pra-  
uæ dispositionis ignoratione, ἀμετάπλωτ<sup>ς</sup> acquiescit. Ve-  
rùm hoc opus, hic labor erit Logici: hîc facula præfere-  
tur illustris illa hermeneutica, quam (vt ferunt Interpre-  
tes) intincto penitus in ipsam mentem calamo λεληκυστι-  
σφάλω posteritati tradidit Archiphilosophus ille, Philoso-  
phorum, vt cum Auerroë loquar, Monarcha, Aristoteles,  
qui metas humanas (vtar enim verbis Ammonij) tanquam  
Apollo quidam Hyperboreus ad veritatis fastigium tran-  
scendit. Is est, qui scalam fabricauit eam, cuius ascensu ve-  
ritatem Iouis summi filiam è throni cœlestis altitudine de-  
uocatam in vrbibus collocemus. Is est, qui situlam in pro-  
fundum veritatis puteum docuit demittere, qua latentem  
illam extrahamus. Is est, qui & ipse confecit, & in Orga-  
no commonstrauit eam ad veritatem viam, qua nobis quo-  
que ingrediendum est, si isthuc, quò peruenit ipse, videre  
quale nam sit, exoptemus. Exposui vobis, humanissimi  
fautores, scopum vniuersi Logicorum negotij, cum primis  
verò propositam rationem hermeneuticæ, futuræ dispu-  
tationis nostræ publicæ, materiæ, quam siccis à me com-  
prehensam thesibus, non Colophoniorum lautitijs condi-  
tâ, aut Atticarû mulierum delitijs obuestitam animaduer-  
tetis. Exigebat ea res, vtî patrocinium Clarissimi Præsidis  
ita fautorum beneuolentiam eorum, quibus nuncupari si-  
ue posset, siue deberet. Delegi verò mihi vos in primis,  
quorum voluntatem in nos propensiolem, & humanitatem  
oppidò benignam haud ita pridem perspeximus. Quam-  
obrem hoc mei studij Philosophici testimonium, qua e-  
stis humanitate, quæso, complectimini: & quicquid est  
opellæ meæ, quod sanè perexiguum est, accipite: grauiora,  
quæ deberem, & adultiora exspectate, non immemo-  
res Artaxerxis, qui perpusillum aquæ Cyreæ fluuiatilis



munusculum à Sinæta Persa quodam oblatum non modò  
*δωρον* appellabat, sed, vt AELIANUS in varijs hist. comme-  
morat, non mediocri quoq; voluptate in phialam excipie-  
bat. Nam qui thura litare non potest, ab eo vel falsam of-  
ferri molam, nulla certè vetat religio. Valete. Dab.  
Helmæsteti 3. Eid. IXbr. Anno natæ illustris Acad. IV-  
LIAE XIIX.

*P. V. addict.*

*Ioannes Vincelbergius Marchicus,  
Respondens.*



THE-



# THESES.

## I.



Ncomplexa Logica primordia, quæ primo mentis actu simpliciter apprehenduntur, ad compositionem & diuisionem intellectus ordinari directè debent: quò consecutionem ignoti tandem ex veri positione, cui mens assensa sit, educamus.

2. Sed dimissis in præsentia duabus extremis Logica partibus, quarum vna primam, altera postremam operationem animi dirigit ac informat, mediam duntaxat illam, quæ mentis in componendo diuidendoq; canon est & regula, quantum præsens fert conditio, considerabimus.
3. Suppositum eius est Enunciatio, cuius principia, species atq; perpeffiones excutiemus.
4. Principia duo sunt: Nomen & Verbum, quibus in oratione primas omninò debemus. Nam si quid accesserit præterea, pro determinatione saltem eorum accipiamus. Ac cum vtraq; voces sint, iccirco de vocibus præfari non nihil haud intempestiuum videatur.
5. Voces affectionum animi, & rerum, mediantibus conceptibus symbola sunt, non illa quidem notificantia, sed *ἡ πρῶτη ἰδέα* significantia. Vbi tria vides aggregari: Res, Conceptus ultimos, & voces. Præeunt res A QVIBVS abstrahuntur conceptus noëtici, PER QVOS fiat intellectio. Sequuntur voces AD QVAS in effundendis ac prodendis rebus conceptis decurritur. Res igitur intellectiois sunt *ἡ γένεσις*, (at ultimata tamen vocum significata) voces *ἐπιπέδω*: medio inter ea loco sita sunt animi concepta pathemata, per mentem abiuncta à materialibus singularium conditionibus, eiq; sic impressa, vt Intellectum potestate, patheticum denominent, non quò patièdo corrumpatur, sed cognoscendo perficiatur.
6. Voces & conceptus in homine sunt, illæ quidem Exeuntes, hi verò Immanentes. Res extra hominem consistunt, non in homine, nisi per noemata, quæ immediata rerum simulacra & *ὁμοιώματα*, cum rebus eadem vbiq; sunt omnibus. At verò voces, quæ primæ sunt & proximæ pathematum animi notæ & indices, nec immediatè rebus vti similitudines respondent, sed mediantibus conceptibus, eadem esse vbiq; nequeunt: quam pariter conditionem habent & τὰ

Zabarel.  
lib. 3. de  
meth. cap.  
13. Plat. in  
Cratylo &  
Marfil. Fi-  
lin. in ar-  
ist. Crat.

*ἡ ἀφ᾽ ἑαυτῆς*





Plat. in  
Phadro.

Vide ante-  
præd. post.  
cap. 4.  
lib. π.  
ἐρμην.

lib. Interp.  
cap. 2. § 3.

ῥαφόμενα, quæ vocum uti primorum fymbolorum oraliū tesserae sunt & symbola secundaria, picturis secundum Socratem persimilia.

7. Vocum alia simplices sunt, alia συμπεπλεγμένους. Simples, nempe nomen & verbum, præcisè significant, ut φάσις, non ut κατα-

φάσις ἢ ἀποφάσις, quæ complexorum propria sunt accidentia.

8. Nomen est vox sine tempore tota, non secundum partes separatas significans. Nam in significatione sita est forma nominis, quæ certè hic non partis, sed totius est.

9. Verbum est vox connotatiua rei cum tempore, signum prædicati, sicuti consignum temporis.

10. Utriq; principio tum Infinitatio, quam vocant, tum πῶσις accidit.

11. Infinitatio est, cum ad finitum nomen aut verbum adiecta NON particula non vnum, sed infinita ἀνώμαως ponit, ac vnum tantummodò finitum tollit: ideoq; tam de non ente quàm de ente dicitur, & finitam negationem, quæ magnoperè non attenditur, affirmationem verò principaliter infinitam importat.

12. Ac huiuscemodi quidem infinita non simpliciter, nomina aut verba, sed ἀόριστοι nomina & verba sunt: cum neq; simplicia sint omninò, neq; significationem certi cuiuspiam determinatam & ratam habeant, quæ certi nominis impositione contineatur.

13. Πῶσις est, deflexio nominis à recto, verbi à præsentī themate. Quo fit, ut πῶσις nominis non sit nomen logicè. Nam etsi multa sint ei cum nomine communia; verbo tamen adiecta, nondum complet sententiam, cum vel nihil per sese significet, nisi ad ipsum nomen respicias: vel non absolutè rem designet, sed præterea relationem respectiuam connotet.

14. Neq; verò πῶσις verborum omninò verba sunt, cum pleræque vel nihil veritatis sapiant, quales sunt illæ, quæ ab indicante modo desciscunt: vel penitus determinatam veritatem non habeant, quales sunt οἱ ἐκτὸς ἑνὸς ἡλικίου, μὴ παρόντα ἡλικίου, ἀλλὰ τὸν πέριξ ἡλικίου σημαίνοντες.

15. Quo loco facebat τῆς ἐπιρογαθείας suspicio de rebus grammaticis, quasi legem perfectitatis auream μεταβάσει ἑ γένους violaflemus. Ecquis enim est tam cæcus, qui logicalia considerandi modo logico ad finem logicum hic proponi, non apertè peruideat.



16. Ex ijs igitur, quas dixi, partibus constituitur oratio, vox non modò tota, ex arbitratu hominum, sed etiam secundùm partes seorsim acceptas significatiua.
17. Orationes in perfectas & imperfectas dispeſcimus. Perfecta est, quæ per nomen & verbum absoluit *αυτελελή διανοιαν*, vt nihil addi præterea necesse sit: ac Stoicis dicebatur *συμβαμα, κατηγορημα, αξιωμα*, vt cum Suida, Luciano & Prisciano, refert *ερμείας* ille Ammonius. Nobis appellatur Oratio suppositiua, & Enunciatio, conflata ex consortio nominis & verbi potissimum, quibus simpliciter & sine respectu subiectum & attributum definitur.
18. Subiectum est, de quo quippiam enuntiatur: attributum, quod enunciatur.
19. Enunciatio definitur oratio secundam operationem intellectus, in qua verum & falsum est, significans.
20. Imperfectæ sunt orationes illæ, quæ nihil veri aut falsi affirmati negatiuè pronunciant: qualia sunt Stoicorum *προαουμβαματα η παρακαταγορηματα*, in quibus cum verbo casuale nomen ponitur: itemq; Rhetorũ ac Poetarũ dubitatio, quæstio, cõquestio, precatio, deprecatio, imprecatio, votum, imperatio, admiratio, appellatio, & eiusdem farinae alia, & *δεν προς επας* attinentia, quæ vel affectus, non animi notiones explicant; vel nihil veritatis aut falsitatis affirmatæ aut negatæ continent.
21. Hactenus de principijs. Sequuntur Enunciatorum diuisiones, quæ trium sunt quasi tribuum, substantiæ, qualitatis & quantitatis.
22. Prima ratione, quæ concernit substantiam, cum partibus substantialibus Enunciatum in simplex & compositum, finitum & infinitum diuiditur.
23. Simplex est in quo vnus subiecti & attributi, quoad vocem & significationem, vna est vel compositio vel diuisio: seu, quo vnũ vni inesse vel abesse pro diuersitate temporum significatur. Ex quo simpliciter *εν η προς των* Enunciatum hoc dicitur propter vnitatem significationis, intellectus, & modi concipiendi. Simplicissimæ sunt omnium orationes hyparcticæ, vt: Deus est. Manes sunt, quibus proximè succedunt eæ, quæ non absolute, sed conuinctione simplices ac vnæ sunt, vt: Camelus est animal.
24. Compositum Enunciatum est vel æquiuocum, quod ob signi-

B

ficatio-



ficationis multipliciter est simplex, nec vnum est, nisi quodammodo in ordine ad vnum significatum: vel coniunctum pluribus ijsq; diuersis terminis, quod etsi secundum quid *συνδέσμων καὶ κατ' ὄσπερον* est vnum, secundum quid tamen est etiam multiplex, cum vel vnum de pluribus, vel de vno plura dicantur, aut plura cum pluribus coniungantur, vt homo musicus albus ambulat. Cicero consul est & orator. Si tempus caret omni principio, mundus æternus est, Animal aut dormit aut vigilat.

25. Vna tamen simpliciter illa est, & categorica simplex enunciatio, qua prædicatur vnum de vno subiecto cum vno quopiam accidente, quod cum illo facit vnum numero: vel qua definitio nominis pro nomine ponitur, vt: homo prudens deliberat. Corpus animatum sentiens vigilat.

26. Simplicium enunciationum percelebris est in absolutas & modificatas *ὑποδιορίσεις*. Absolutæ, puræ, & existētes, quas *ἔτι ὑποσφραζέειν* hoc est, de inesse nominant, illæ sunt, quæ subiecto aliquid *ἄπλωσ* aut attribuunt aut denegant.

27. Harum alia binaria est, alia trinaria, si numerum partium respicias. Binaria est, in qua subiectum immediatè cum attributo cohæret: siue sit *τὸ δεύτερον ΕΣΤΙ κατηγορηματικὸν ὑπαρκτικόν*, essentialis constitutionis principium: siue quicquam aliud citra ligamenti appositionem prædicetur, modò verbum prædicati loco statuatur, vt: Eclipsis est. Chimæra non est: quæ de secundo adiacente vocantur Enunciationes absolutè simplicissimæ, non ponentes in numerum, vt loquuntur. Itemq; cælum mouetur. Leo rugit.

28. Trinaria *ἢ ἐκ τρίτε προσκατηγορηματικὴ διπλοῦσι* est, cuius vtraque extrema sunt nomina, quæ tanquam *πράγματα, ὑποκείμενα καὶ συγκείμενα* deuinciuntur inrer sese mediante appositione tertij adiecti, quod vt membrum integrans apprædicatur & compositionem asignificat v. g. cælum est mobile.

*Auerr. in Epito. in lib. 10. ἐρμην.* In vtroq; genere prædicatum aut positium est & perfectum, perficiens rem de qua dicitur: aut priuatiuum, quod formæ priuationem denotat, vt: catulus cæcutitante nonum diem. Nox est tenebricosa.

*lib. 1. prior. cap. 8.* 30. Porro quoniam aliud est inesse, aliud necessariò inesse, non eadem erunt modales cum Existētibus, sed inhærentiam prædicati in sub-



in subiecto, adeoq; totam compositionem certo modo, tanquam *προσδέσφ*, hoc est, additamento speciatim determinabunt, ut mutua terminorum *χέσις* appareat: eaq; vel necessaria, vel impossibilis:

Contingens aut possibilis.

31. Necessarium est, quod est, nec potest non esse. Contingens, quod est, & potest nō esse. Impossibile, quod non est, nec esse potest. Possibile, quod non est, sed esse potest. Sin verò necessarium & contingens *ἐν πλάτῃ* capiantur, quatuor hi modi succinctè contrahentur ad duos, ad Necessarium & Contingens. Ac necessarias quidem Modales efficiet præter necessitatis modum etiam Impossibile, non possibile, non contingens, contingentes verò præter modum contingentia, etiam possibile, non necesse, non impossibile.

32. Neq; verò plures hīc Modos agnoscimus, qui determinent accessorie *τὸ προσκείμενον* ad terminos, & compositioni aliquid superaddant, ac Enunciationem secundum Esse & non Esse immutent aut diuersificent. Quare Verum & Falsum, quos modos appelles identificados, & alias præterea qualescunq; terminorum descriptiones, nihil hic habere loci arbitramur.

33. Modalium partes duæ sunt, Modus, & quod modificatur, Dictum, simpliciter & citra modum è subiecto & attributo suo, non aliter ac absolutæ constitutum: quod si complexim vnà cum modo totum accipias, Dictum subiecti, Modus attributi vice fungetur, ideoque prædicato dicti conuenientiùs affigetur, ut Omnem hominem mori necesse est. Nonnunquam tamen & in fronte dicti modus statuitur, non minùs quàm in fine: quas de dicto Modales indigetant & Compositas. Sin verò modus interiectus dicti partes diuidat, Modales de re & Diuisas nominant, ut O. homo necessariò moritur. si deniq; modus cum subiecto dicti coalescat, & illius pars fiat, non illa modalis, sed absoluta censebitur, ut A. necessariò moriens est homo.

34. Geminam illam rationem partium in Modalibus sequitur gemina qualitatis & quantitatis earundem consideratio. Cùm enim neruus & anima modalium penes modum resideat, affirmato vel negato modo vniuersali aut particulari, tota modalis illius & qualitatis & quantitatis genuinæ solet aestimari. Modus enim affirmatus *τὸ ἐστίν*, negatus *τὸ μὴ εἶναι ὁμοίως πάντεσσι*, quod cùm de contingenti verum esse pronunciet Archiphilosophus, *ὁμοιοτρόπως* quoq; valebit



de reliquis. Catero qui qualitatem populariter ex attributo dicti, quantitatem ex subiecto dicti, non secus ac in absolutis, metiri consueuimus.

35. Vniuersales modi sunt necessarium, impossibile, non possibile, non contingens, qui temporis vniuersalitatem atq; perpetuitatem important. Necessarium enim semper est. Impossibile semper non est. Particulares sunt contingens, possibile, non necessarium, non impossibile (nam vniuersales in particulares, ac vicissim particulares in vniuersales abeunt, negatione superaddita) qui tempus interruptum atq; parziale denunciant.

36. Tandem ex infinitatione, quæ nominibus & verbis accidit, finitarum ac infinitarum Enunciationum nascitur distinctio.

37. Finita est, quæ finitis vtriusq; terminis constituitur, vt Phidias est statuarius: homo non est stipes.

38. Infinita est, quæ ex infinito vel infinitis efficitur, vt Non Deus est hic. Non Hippocrates est Medicus: vbi nulla propter infinitationem est veri aut falsi negatio: quinimò infinita multò minus, quàm

*lib. Interp.  
cap. 12.*

finita negare videntur. Nam qui NON HOMO dicit, minus adhuc veri falsiq; dicit, quàm qui HOMO diceret.

39. Diuisiones enunciatorum è substantia sumtas huc vsq; percensuimus. Sequitur vt secundum Qualitatem, ratione differentie specificæ, quæ in Quale prædicatur, eadem in affirmata negataq; tribuamus.

*lib. 1. prior.  
cap. 2.*

40. Affirmatiua est alicuius de aliquo enunciatio. Negatiua, quo alicuius ab aliquo remotio significatur. In illa compositio est: in hac verò diuisio.

41. Proximus est affirmationi & negationi διορισμὸς Enunciationum in veras & falsas, quæ passio propriè & necessariò ad affirmationem & negationem, constitutricem oppositionis secundum veritatem & falsitatem, consequitur.

42. Enunciare namq; possumus de eo quod est, esse: quod non est, non esse: quod non est, esse. Binæ priores αὐτῶν ἰσχύουσαν veritatem, posteriores falsitatem continent. Atq; hic est biformis ille Pan, interpretis Mercurij filius, sermo nimirum, qui πᾶσι significat, ob veritatem & falsitatem geminus, quarum illa superioribus Panis partibus delicatis atq; lauibus: hæc verò inferioribus hircinis & asperis, à veteribus significabatur.

*Plato in  
Cratylō.*

Est au-



43. Est autem veritas, adæquatio mentis cum rebus, in quibus subiectiuè sita est, & causatue, & fundamentaliter, quatenus illæ cõparantur ad intellectum, vt mensuræ ad mensuratum: in intellectu verò conceptiuè, principaliter & formaliter: in oratione symbolicè: quorum omnium mutua requiritur ad exactam veritatem concordia, æqualitas & conuenientia.

*Pulerè Jul. Cas. Scaliger de subtilit. adu. Card. exer.*

44. De Entis veritate, quæ naturalis & speciei veritas, Entisq; Passio dicitur, qualis est veritas, hoc est, vera natura auri, quorsum attinet hic multa commemorare, cum absoluta illius consideratio pertineat ad Methaphysicum? Loquamur de veritate conceptuum, qua naturalis noëmatum coniunctio disiunctiõue sic apprehenditur, vt esse, quod est, non esse, quod non est, intelligas.

*P. Soncinas lib. 6. Methaphys. Quæst. 17.*

45. Hanc Enunciatio significanter exponit, si lingua mentis pedissequa diligenter ad nutum dominæ se componat atq; conuertat: vnde veritas ea, quæ significationis appellatur, & Enunciati  $\omega\alpha\theta$  est, exoritur.

*lib. 9. Methaph. ca. 10.*

46. Quamobrem ea demum vera est Enunciatio, quæ genuinum & germanum rei in intellectu  $\omega\mu\omega\iota\omega\mu\alpha$ : Falsa, quæ spuriam rei similitudinem declarat.

47. Sed prætereunda est  $\sigma\kappa\acute{\epsilon}\psi\iota\varsigma$  luculentior materiæ, seu conditionum ad materiam consequentium, ne falcem in alienam posterioris Topici quæ messem immisisse videamur.

48. Restat tertia, quam Quantitas suggerit, Enunciationis diuisio de rebus vniuersalibus aut singularibus, quarum hæc citra quantitatis signum omnino & semper efferuntur: illæ quandoq; signantur: quandoq; vero nullo signo determinantur, vt ambigas, quam latè vel angustè subiectum accipi debeat. Signantur  $\tau\alpha\ \kappa\alpha\theta\acute{o}\lambda\omicron\varsigma\ \eta\ \acute{o}\tau\iota\ \kappa\alpha\theta\acute{o}\lambda\omicron\varsigma\ \eta\ \acute{o}\tau\iota\ \epsilon\iota\ \mu\acute{\epsilon}\rho\epsilon\iota\ \delta\eta\lambda\acute{\epsilon}\mu\omicron\nu\alpha$  signis vniuersalibus aut particularibus: vnde quatuor emergunt enunciationum formaliter  $\acute{\alpha}\nu\tau\iota\delta\iota\eta\gamma\eta\ \mu\acute{\epsilon}\mu\omicron\nu\alpha$  species: binæ signis orbata: Singularis & Indefinita: binæ signis affectæ: Vniuersalis & Particularis.

*lib. de Interpret. cap. 7. § 12.*

49. Signatis affines sunt Indefinitæ  $\tau\acute{\alpha}\nu\ \kappa\alpha\theta\acute{o}\lambda\omicron\varsigma\ \mu\acute{\omega}\nu\ \mu\grave{\eta}\ \kappa\alpha\theta\acute{o}\lambda\omicron\varsigma\ \delta\epsilon\ \lambda\epsilon\chi\ \lambda\acute{\alpha}\nu\tau\omega\upsilon$  propter vniuersalitatem subiecti, quam tamen interminatam habent: & contra distinguuntur singularibus de subiecto indiuiduo. Quòd si formæ cura seposita materiam ad intellectum referas, ob affinitatem istam  $\acute{\alpha}\delta\iota\acute{o}\rho\iota\varsigma\tau\alpha$  possunt vniuersaliter intelligi, si mate-

ria sit



ria sit necessaria vel impossibilis negata, vel attributum subiecti contentis omnibus conueniat. Particularibus autem æquipollent, si vel nexus prædicati cum subiecto sit accidentarius, vel attributum non toti, sed alicui subiecto competat.

50. Signantur Enunciationes ex parte subiecti tantummodo. Nam attributum ἀπλῶς sumendum est uti confusum ac indistributum vniuersale, ne creetur signi redundantia vel enunciationis falsitas, aut in partibus illius identitas aliqua cruda & insipida. Si quis enim ita pronunciet: Aliquis homo est aliquis homo, ubi rectè diceretur: Aliquis homo est homo:

*Auditum admissi risum teneatis amici?*

51. Enunciationum igitur hæ sunt species è substantia, qualitate & quantitate natæ, quas huiusque recensuimus: quibus alij præterea Paronymas & vniuocas: itemq; absolutas & Reduplicantes adijciunt.

52. Reduplicantiam faciunt triplicem: vnã simplicem, qua subiecto quatenus subiectum, inesse dicitur quippiam, ut: Triangulus quatenus Triangulus, habet tres angulos duobus rectis æquales: alteram ἀιπολογικῶν, quam scholastici vocant specificam, ubi prædicatum subiecto propter causam ipsi appositam tribuitur v. g. Crocodilus, quia natura timidus, perhorrescit strepitum. Centaurium quia exsiccat, medetur glutinandis vlcibus. Sed huiusmodi Enunciationes specificæ sunt διὰ μέν syllogismi integri. Tertiam συνειδοχικῶν, qua toti quippiam ob partem assignatur, ut homo quæ manum habet, scribit.

53. Sequuntur Enunciationum accidentia propria, oppositio, consensus, conuersio, quæ mirificum in disputationibus rectè philosophantium habent usum, & ad veritatem suis legibus respiciunt.

54. Oppositio, quæ ex communissima Enunciationum affectione κατὰ φάσει ἢ ἀποφασί essentialiter resultat, dissensio definitur Enunciationum duarum secundum affirmationem & negationem vnã eiusdem quo ad rem & nomen de eodem, seruata eadem persistasi & habitudine ad extrinsecum.

55. Conditiones illius sunt ὡσαύτως ( μὴ σωωνύμως ) ἢ τὸ αὐτὸ, πρὸς τὸ αὐτὸ, ἐν τῷ αὐτῷ χρόνῳ: quæ si negligantur aut omnes, aut saltem aliqua, prodibunt Enunciationes ἐπείρου, non oppositæ.

lib. de Interpret. cap. 6.  
§ 8. § in Elench. Sophist.

56. Oppositionum vulgò quinque feruntur species: vna contradictoria secundum quantitatem & qualitatem antithesis pugnacissima: al-



ma : altera contraria duarum vniuersalium, quæ simul falsæ quidem esse possunt, at nunquam simul veræ : tertia subcontraria duarum particularium, quæ veræ quidem *ἐνδεχομένως* at nunquam falsæ simul esse queunt. Quarta singularium est oppositio, verum & falsum exactè diuidens. Quinta indefinitarum non per se quidem, sed propter æquipollentiam earum cum vniuersalibus aut particularibus.

57. Prioris vtriusq; generis Oppositiones sunt *κατὰ τὸ πρᾶγμα* secundùm esse. Subcontraria verò saltem *κατὰ τὴν λέξιν* repugnantia, degenerat à natura oppositionis quodammodo, cum destituatur *κατὰ τὸ αὐτὸ* & vniuersale subiectū particulariter, vagè ac indifferèter lūtū cōtineat

58. Quid ergo de subalterinis fiet, quæ ne secundùm Dici quidem Oppositionem redolent?

59. Et cum versatiles veri falsiq; vices hebeant contrariæ iuxta cum subcontrarijs, solæ contradictoriæ simul neq; veræ neq; falsæ sunt propter medijs carentiam, & impossibilitatem essendi simul & non essendi; sed earum alterutra vera est alterutra falsa, definitè quidem de præsentibus & præteritis cuiuscunq; materiæ, in quibus magis actus dominatur, quàm potentia : Indeterminatè verò de futuris contingētibus voluntarijs & naturalibus, in oppositum mutabilibus propter indeterminationem voluntatis & *δυνάμεως ἀνιφάσεως* in materia: quæ duæ matres contingentium cognitionem futurorum certam *πρὸς ἡμᾶς & πρὸς τὸν θεὸν* impediunt.

60. Neq; verò eadem est contradicēdi ratio in ijs, quæ sunt actualiter aut fuerunt : & in futuris, quæ neq; sunt, neq; omnino non sunt, sed esse possunt. Nam præsentia præteritaque cūm determinatum *τὸ εἶναι ἢ μὴ εἶναι* habeant vel habuerint, definitum quoq; verum aut falsum habent vel habuerunt. Atqui futura neque definitum habent Esse, neq; non esse. Quare deerit ijsdem Entitatiua determinata veritas, itemq; non Entitatiua determinata falsitas.

61. Quocirca futurorum ἀόριστία Quo ad nos stabilitur : eaq; tanto maior esse deprehenditur, quāto rarius eueniunt & à natura necessariorum absunt longiùs. Etenim quæ propiùs absunt à necessarijs, minùs sunt ἀόριστα, magisq; determinata, quàm *τὰ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ*, & euenta fortuita : non per se quidem sed ratione *τὰ ὅτι ἔτυχε*, & per accidens. Ex quo patet, relinquendum esse locum contingentibus, nec vrgeri cuncta fatali necessitate *stoica*, nisi velis è

lib. de In-  
terp. ca. 12.

lib. 4. Me-  
taphys. lib.  
Interp. cap.  
14.

lib. de In-  
terp. ca. 10.





velisè mundo sublatae disciplinas politicas, admonitiones, obiurationes, praemia, poenas, virtutes, vicia, deliberationes, omissiones, actiones, Medicinam, & id genus alia.

62. Iam quò ritè peragatur in absolutis Oppositio, finita finita, infinita infinita opponatur, appositè collocata negatione aut infinitivis notula, ne qua vel ambiguitas oboriatur, vel infinitarum cum finitis confusio. Discindatur in trinarijs negandis vinculum, in quo sita vis est earum & anima: negetur attributum affirmatum in binarijs.

63. De modalium oppositione diuersae sunt authorum sententiae. Nam alij quidem in ijs siue diuisis siue compositis, nihil ponunt discriminis à superioribus. Alij diuisarum diuersam, compositarum eandem cum absolutis oppositionem esse contendunt. Neque defunt, qui compositarum oppositionem esse per sese & propriè, negent: diuisarum tamen esse quandam pronuncient. Quo pacto dicuntur illis hæc opponi contrariae. O. Camelus necessario est animal. O. Camelus impossibiliter est animal. Et contradictoriae: O. autumnus necessario est aduersus tabidis. Quidam autumnus non necessario est aduersus tabidis.

64. Sed tenuis est illa compositarum & diuisarum modalium distinctiuncula: neq; eadem hic est opponendi ratio cum Existentijs, licet eadem oppositionum formæ & eadem earundem leges vtrobiq; reperiantur.

65. Vt autem taceamus de modalibus diuersi generis & appellationis, (quæ quo ritu opponantur, ex Isodynamijs patebit) differamus de oppositione earum, quæ sunt eiusdem appellationis, modalium: in quibus & ad modum & ad dictum conuertenda est omnis ingenij acies. Nam vbi singulare dictum est, contradicet illud alteri dicto in contrarijs de eodem modo vniuersali: in subcontrarijs de eodem modo particulari. In contradicentibus vero conficiendis non dictum dicto, sed modus modo contradicet.

66. In dicti communis modalibus, prima modi cura sit: altera dicti communis. Quod ad modum attinet, idem retinetur ibi modus vniuersalis in contrarijs: idem modus particularis in subcontrarijs; sed dictum vtrobiq; dicto contradicet. In contradictione vero modus & affirmabitur & negabitur, eodem dicto retento. Si verò dictum commune respicias, in contrarijs & subcontrarijs de modo Necessarij vel non necessarij, dictum dicto contradicet aut contrariabitur. De modo



modo verò Contingentis, Possibilis, Impossibilis, dictum dicto contradicet aut subcontrariabitur.

67. Quare contrariæ & subcontrariæ ex necessario, minimè constabunt dictis subcontrarijs. Neq; si sint ex possibili, impossibili, contingente, dicta contraria admittent. At verò contradicentes neq; contraria neq; subcontraria dicta recipiunt. Etenim si quid eorum admittatur, orientur contrariæ simul veræ, subcontrariæ simul falsæ, contradictoriæ simul veræ & falsæ : quod oppositionum legibus repugnat.

68. Talis oppositorum fuit dissensio. sequitur συναλήθεια, hoc est, enunciationum mutua, ratione veritatis & falsitatis, consensio, qua munitur doctrina oppositionis legitimæ, ne quomodo libet oppositæ pro verè oppositis obtrudantur.

69. Consensionum genera duo sunt : Isodynamia & Consecutio, συνακολουθίαι. Illa est affectio propositionum eiusdem valoris, sine respectu illationis : hæc vero propositionum, quarum vna ad alteram vt consequens ad antecedentem æquali valore infertur.

70. Vtramq; tam in absolutis quàm in Modificatis reperias. In absolutis ijsq; finitis Isodynamiam parit terminorum μετάθεσις, vt mel est dulce : mel dulce est : quod nisi ita esset, sequeretur vni affirmationi plures opponi negationes. ἀπὸ πον. In finitæ vero transpositæ non æquivalent propter infinitantem voculam. Præterea vniuersaliter aiens infiniti tum subiecti tum attributi τὰ ὅλα significat cum vniuersaliter negante de subiecto tantum infinito, vt Omne non mel est non dulce, nullum non mel, est dulce. lib. de In-  
terp. ca. 12.  
ibid. ca. 8

71. Consecutio Existentium est qua vel vniuersalis suam importat particularem, vt O. mel est dulce. Q. mel est dulce : vel aiens finita negantem infinitam, vt O. mel est dulce. N. mel est non dulce : vel aiens infinita negantem finitam subinfert, vt : Omne mel est non amarum. Nullum mel est amarum. Quandoq; verò etiam, in singularibus potissimùm, ad negationem finitam consequitur infinita affirmatio vt : Phidias non est Medicus : Phidias est non Medicus.

72. Modales sunt ἰσχυρισμοί vel ob eiusdem modi diuersum positum in extremitate vel medio, vt : O. homo necessariò est animal. Necessè est O. hominem esse animal. O. hominè esse animal necessè est. Vel ob diuersos modos quoad formam, significatione tamen conuenientes, cuius rei Canonem exhibent quatuor, vt vocantur, rotuli  
C  
siue



siue *σζυγίας* quaternarum Modalium æquipollentium in quibus sigil-  
latim omnibus seruata eadem modorum quantitate dicta modorum  
possibilis, contingentis & impossibilis eadem inter sese omnia con-  
spirant in contradictionem dicti Modalis necessariae.

73. Restat Conuersio, quæ est eorundem extremorum commuta-  
tio reciproca, salua qualitate & veritate: quæ si peragatur *απολῶς ἢ*  
*ὁμοίως*, illata conuertente ex conuersa ita vt inter vtramq; nihil am-  
plius inferendum intercedat, appellatur Immediata, simplex, Inter-  
minis, & κατ' αὐτὴν conuersio.

lib. 1. prio-  
rum ana-  
lyt. cap. 2.

74. Sic absoluta particularis affirmans semper & necessariò con-  
uertitur: & vniuersalis negans, vt Nullus theologus est mataologus.  
nullus mataologus est theologus. Et si verum est, nullum hominem  
esse Metaphysicum, Nullus etiam Metaphysicus erit homo, nempe si  
nullus sit. Nam si seorsim & absolutè sumatur hæc posterior, efficitur  
vitiosa, cum hoc pacto supponat quendam Metaphysicum, qui cum  
est, homo est.

75. Vniuersaliter affirmans formaliter hac ratione non conuertit-  
tur, nisi cum pares sunt & æquè latè patent termini vt definitum &  
definitio: species cum sua differentia & proprio. Neq; directè res-  
pectu formæ & necessariò conuertitur ita particularis negans, vt. Qui-  
dam theologus non est mataologus: quidam mataologus non est theo-  
logus: sed contingit illud eò, quòd hæc particulares suas vniuersales  
consequuntur. Illud vero viciosiss. Quidam homo non est animal: cu-  
ius conuertens est verissima.

76. Sin præter mutatum terminorum ordinem mutetur Quanti-  
tas, & intercedat alia quædam inter conuertentem & conuersam E-  
nunciatio, Mediata dicitur & κατὰ συμβεβηκός, & in parte Conuer-  
sio, destinata peculiari quodam privilegio conuertendæ formaliter  
vniuersali affirmatæ: neq; tamen vniuersali negatiuæ fortassis incon-  
ueniens, vt: nullus mataologus est theologus. Quidam theologus non  
est mataologus: nisi malis id propter consecutionem particularis ad  
vniuersalem contingere.

77. Addunt insuper Interpretes *ἀντιστροφὴ κατ' ἀντίθεσιν*, qua  
termini infinitati salua quantitate transponuntur in aiente generali  
connexionis necessariae: in particulari negante: rariùs etiam in affir-  
mante, svt: Quidam arrosor alieni nominis est tenebrio: Quidam non  
tenebrio, est non arrosor alieni nominis. Cuiusmodi conuersionum  
vsus videatur in modis Baroco & Bocardo, non per Impossib. spæ



Ostenditur reducendis ad modum primi syllogismorum Schematis: quam refragetur vulgata logicorum opinio.

78. Demum singularibus omnino nulla debetur conuersio: nec Indefinitis, nisi quæ signatis æquipollent.

79. Non nihil euariat in Modalibus conuersio. Nec enim instar Existentium hæc conuertuntur neq; modus cum dicto, sed dicti partes inter se reciprocantur: neq; modi consideratur hic aut modalium affirmatio & negatio & quantitas: sed dicti signata quantitas & qualitas, cum fiat conuersio non nisi in signatis enunciationibus. Sic vniuersaliter hæc negat. Nullum hominem esse bardum, est possibile. Quod si verò Modus in Modalibus conuertenda negatus offeratur, in affirmatum æquipollentem antè commutandus est, quam instituat conuersio.

80. Necessariæ Modales duntaxat vniuersales negatiuæ conuertuntur simpliciter & necessariò: particularis autem negans, & vniuersalis aut particularis affirmans necessaria, neq; suapte natura neq; necessariò reciprocantur, nisi tam necessaria sit prædicati subiectiq; connexio, vt hoc sine illo esse nequeat. Idem esto de Impossibilibus iudicium.

*lib. 1. priorum cap. 3.*

81. Contingens si capiatur pro possibili, siue sit illud necessarium, siue non necessarium, tum vniuersalis & particularis affirmata particularim & necessariò conuertitur: negata vero particularis & vniuersalis non necessariò reciprocè com meat, aut certe non conuertitur vt possibilis, sed more necessariorum, vt possib. est nullum virum bonum esse criminatorem. Possibile est nullum criminatorem esse virum bonum: quæ propositio cum pariter sit necessaria, com meat vt necessaria conuertibiliter, non vt possibilis.

82. Sin verò contingens sumatur pro non necessario, nec tamen impossibili, hoc est, quod possit & fieri & non fieri, tum nulla omnino contingens necessariò conuertitur. Nec contingens vt contingens reciprocatur tum cum ad id quod est aut fuit, adstringitur: sed quatenus absolutam præsupponit & continet, vt: contingit aliquem conuiciatorem nunc vulnerari. Contingit aliquod nunc vulneratum esse conuiciatorem. Sequitur hæc posterior ad priorem, non nisi quatenus hæc absoluta supposita necessariò conuertitur: aliquis conuiciator nunc vulneratur. aliquod nunc vulneratum est conuiciator.

83. Sed hæc modalium est in modales antistropha: quas si placet in absolutas conuertere trajecto modo, conuertendi mos & processus



idem seruabitur, qui in Existentiis. ex.c. O. artificē errare contingit.

Quidam contingenter errans est artifex.

84. Huc igitur vsq; de simplicibus pertractatum est. Enunciatio-  
nibus, quarum si duæ vel plures coniunctione complicantur, fiunt E-  
*Laert. lib. 2.* nunciata Coniuncta, *συνμμενα* dicta Clinomacho.

85. Coniunctio sententias istas simplices aut iungit, aut disiun-  
git siue diuidit.

86. Ex priori genere prodeunt hypotheticæ propriè dictæ, siue  
conditionales & connexæ enunciationes, in quibus ordine consecu-  
tionis eius quod est posterius, ex priori, coniunctio perficitur: itemq;  
Copulatiuæ, quæ talem vnus ex altero dependentiam non habent,  
nec hypotheticæ propriè dici merentur, nisi quòd ad vnam iam quasi  
suppositam altera adiungatur, aut quòd ex conditionali copulatiua  
colligatur ac inferatur.

87. Ex altero fonte Disiunctiuæ profluunt, quæ quidem & ipsæ in  
consortium hypotheticarum adsciscendæ sunt eò quòd vel leui (vt a-  
iunt) brachio sint in conditionales resolubiles quæ ex ipsis inferantur.

88. Coniunctarum Enunciationum qualitas illa quæ est de Enun-  
ciationis essentia communiter, affirmatio est & negatio in sola con-  
iunctione posita. Neq; enim prædicatorum negatio, qualis est in sim-  
plicibus, coniunctam negatiuam procreat: tametsi partes eius ita  
connectantur, vt antecedens & consequens sit vel affirmatum vel ne-  
gatum: vel antecedens affirmatum, consequens negatum aut contrà.

89. Neq; verò deest compositis illa significandæ veritatis & falsi-  
tatis qualitas: eiusq; vel contingentis vel necessariæ.

90. Quantitas in coniunctis etsi formaliter, actu & per se nulla  
est, cum non enuncient aliquid de aliquo aut aliquibus: sed enuncia-  
tiones simplices, quarum illud munus est proprium, coniungant. vir-  
tute tamen vniuersales istæ sunt aut particulares: id quod in opposi-  
tione earum contraria & subcontraria, ac in reductione ad proposi-  
tionem simplicem, qua fundentur aut cui æquipolleant, manifestum  
euadit.

91. Conditionalium specialiter hæc est ratio, vt veritatem suam  
in apta partium consecutione, falsitatem in viciosa repositam habe-  
ant: nec ad eas antecedentis & consequentis veritas requiratur ex ne-  
cessitate, cum vel ex merè falsis simplicibus vera conditionata confi-  
ciatur.

92. Copu-



92. Copulatiuarum veritas ex partium omnium veritate pendet, quarum si vel vna saltem falsa sit, aggregata tota neutiquam vera fuerit.

93. Disiunctiuarum, hoc est, sententiarum repugnantium hæc natura est, vt in immediatis illis non possint esse plures partes veræ, quàm vnica: tum enim si vel omnes partes sint veræ (quæ cum necessariæ sint ac necessariò connexæ, ridiculè ac ineptè disiunguntur) vel si falsæ sint omnes, aut inepta aut falsa disiunctiua reputabitur

94. Coniunctis accidit oppositio, formaliter quidem contradictoria, non contraria neq; subcontraria formaliter, quoniam illa vniuersalium est: hæc particularium: at coniunctæ nec vniuersales actu sunt neq; particulares sed potestate solùm & virtute: quare virtute & de lege tantum (vt vocant) oppositio contraria & subcontraria respectu suarum legum coniunctis conueniunt.

95. Tandem ad æquipollentiam earum quod attinet, ea non est conditionalium cum copulatiuis neq; cum disiunctiuis: sed copulatiuarum cum disiunctiuis mediatis atq; communibus, quas afferunt ex vsu loquendi vulgari neoterici.





ODE  
AD DN. IOANNEM VINCELBER-  
GIVM, IUVENEM POLITIS-  
simum.



D templea cùm diæ SOPHIAE edita  
Tendas IOHANNES, indole feruidâ,  
Industriâq; singulari  
Et pariter studio peracri:  
Laudabilem, meherclè, operam facis,  
Cursum quòd hunc tam amplum haud temerè subis  
Verùm Sophi illius senilis  
Consilij memor, ipse Apollo  
Quem censuit solum Sapientiæ  
Dignum corona, te LOGICA expolis  
Arte inclita. Hæc enim Promethei  
Fax radians, Ariadnæ & ipsum  
Est filium, amantes quod Sophiæ regit,  
Quò tam arduam possint Sapientiæ  
Compendiosè ascendere arcem  
Egregiamq; referre palmam.  
Ergò vt secundo ceu amne tuus labor  
Currat, Sophorum, IANE, tuum è Duce,  
(Qui cæteros quoscunq; tantum,  
Astramicantia Phœbus ipse  
Quantum anteit) ingenij igniculum excitas.  
Dum pertinaci eius studio aureos  
Libros legens, perpulcra condis  
Mente decreta tenaciore.  
Sed nec latentibus parietibus  
Ceu arcto vigorem antro ingenij finis  
Occludi, in apricum sed affers,  
Ac Cathedram premere haud vereris.

Quod



Quod ipsum & hoc iam tempore factitas,  
Dum quem Ducem dixi Sophiæ inclitum  
M O M I eximis telis, licet sint  
Tam leuia, vt queat ipso amictu  
(Quod dicitur) propellere ea omnia,  
Tam inuictus Heros, Magnanimusq; Dux.  
Cum ergo ille honos lumenq; Phœbi,  
Palladis illeq; Mystagogus,  
Vindexq; synceræ & Sapientiæ,  
Qui surculos hinc inde feracibus  
Ex hortulis antiquitatis  
Frugiferos legit, hosq; rursus  
Molli iuuentæ gnauiter inserit  
CORNELIUM dico, tibi præferat  
Signa, Auspice hoc stipendia alma  
Perge merere, tuæq; semper  
Industriæ pulcrum specimen dare,  
Plenis & ultra tendere passibus,  
Donec queas intrare Templi  
Sic SOPHIAE penetralia ipsa.

*Petrus Rhythmus Suecus F.*





№ 4004 \*






56676  
AB: 56676

ULB Halle 3  
003 261 476  


56.








№ 40

№ 40







AD LIBRVM ARISTOTELIS  
DE INTERPRE-  
TATIONE

Theses,

*Quas Deo bene iuvante,*  
Præfide

CORNELIO MARTINO AND-  
verpio, Profess. Logices Aristoteleæ  
publico

*Disputationi publicæ in illustri Principis FV LII*  
*Academia, quæ est Helmaestadij,*

Subijcit & pro viribus ingenij defendet

IOANNES VINCELBERGIUS GARDALE-  
giensis Semno, Medicinæ stud.

<sup>30</sup>  
*ad XVI. diem — Mens. Nouembr.*



HELMAESTADI.  
Excudebat Iacobus Lucius, Anno  
M. D. XCIII.